

Tholo.



59944  
III Mag. St. Dr. P

Teol 4014

Benedicti PP. XIV: Breve Apostolicum facultatis im-  
partendi benedictionem cum indulgentia plenaria fi-  
delibus in mortis articulo constitutiv.

Faciu  
tis ar  
Cum

Ver

R  
h

non  
pas  
trim  
nosi  
stol  
gis  
& h  
acc  
cum  
Civ  
ani  
sule  
tae  
sex  
nit  
qui  
vot  
pat  
plu  
&  
op  
run  
ni  
run  
rit  
ne  
ge  
tri

# BREVE APOSTOLICUM 9.

Facultatis impertiendi Benedictionē cum Indulgentia plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis etiam per alios tam in Civitate, quam Diœcesi Cracoviensi. Cum Literis subdelegationis hujusmodi. Facultatis Presbyterū tam Sacerdibus, quam Regularibus in cura animarum laborantibus.

Venerabili Fratri STANISLAO Episcopo Cracoviēn:

59944m

## BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

Rga omnes Christi fideles in maximo instantis mortis  
discrimine, & in dūrissima tantæ necessitatis hora,  
constitutos, tantō abundantius Romanus Pontifex  
coelestes Thesauros erogare, traditamq; sibi divinitus  
opitulandi potestatem debet exērcere, quanto tunc  
major premit illos anxia ægritudo, ac penè conficit  
acerba tristitia, furentibus, undequaq; teterrimis, &  
callidissimis hostibus, qui Leonis instar rugientes, ad-  
stant, ut devorent, & quorum efferata rabies, nisi eo-  
rum sanguine, id est æternā animarum ruinā, expleri  
non potest: Hinc, Nos, quibus licet immeritis omnes oves suas Christus in Petro  
pascendas dedit, ne illis unquam in extremo vitæ mortalis agone aliquid de-  
trimenti culpâ nostrâ contingere possit, in partem potestatis & solicitudinis  
nostræ coeteros Pastores nuper vocavimus, ut sibi comparatis omnibus Apo-  
stolicæ Sedis & Nostræ authoritatis subsidiis, majori atq; uberiori eorum Gre-  
gis utilitati prospiciant, facilem ad assequendam æternitatem aditum aperiant,  
& horribiles hostium impetus comprimant, atq; repellant. Cūn itaq; sicut  
accepimus, Ecclesiæ Cracoviensi præesse dignosceris, Benedictionem Apostolicā  
cum Indulgentia plenaria in articulo mortis impertiendam ægrotis istarum  
Civitatis & Diœcessis Cracoviensis concedere posse plurimum desideres: Nos  
animarum Christi fidelium tuæ curæ commissarum saluti paterna caritate con-  
sulere cupientes, Fraternitati tuæ, ut donec regimini Ecclesiæ Tibi demanda-  
tæ præfueris, & quoties in dictis Civitate & Diœcesi Tuis, aliquem utriusq;  
sexus Christi fidelem in mortis articulo constitutum esse contigerit, si verè pœ-  
nitens & confessus, ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere ne-  
quiverit, saltim contritus Nomen Iesu ore, si potuerit, sin minus corde de-  
votè invocaverit, & mortem tanquam peccati stipendum de manu Domini,  
patienti atq; alaci animo susceperit, toties per Te ipsum, seu per unum aut  
plures Presbyteros, probitate morum præditos sacerdles, seu cuiusvis Ordinis,  
& Instituti regulares, à Te ad Tui libitum semel, vel pluries, & quandocunq;  
opus fuerit, delegandos, eligendos, & deputandos, & quod ad Moniales illa-  
rum Confessarium ordinarium, Apostolicam Benedictionem Nostro & Roma-  
ni Pontificis pro tempore existentis, nomine cum plenaria omnium peccato-  
rum suorum Indulgentia & remissione impertiiri liberè & licite valeas, auto-  
ritate Apostolica tenore præsentium, servata tamen in omnibus, quarumdam  
nostrarum sub Plumbo Nonis Aprilis, anno millesimo septingentesimo quadra-  
gesimo septimō expeditarum Literarum forma, & dispositione concedimus,  
tribuimus & impertimur. In contrariū facientibus non obstantibus quibuscumq;

Volumus



Dabrotzyn.

10.

Volumus autem, ut tam Tu, quam Delegati, & eligendi pro impertienda Bene-  
dictione, & plenaria Indulgentia in articulo mortis hujusmodi constitutis  
applicanda formulam adhibeatis à Nobis in dictis nostris Literis præscriptam  
tenoris sequentis, videlicet:

¶. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.

¶. Qui fecit Cœlum & Terram.

*Antiphona.*

Ne reminiscaris Domine delicta Famuli tui (*vel* Ancillæ tuæ) nequè vindic-  
tam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison, Christe eleison Kyrie eleison, Pater noster &c.

¶. Et ne nos inducas in temptationem,

¶. Sed libera nos à malo.

¶. Salvum fac Servum tuum (*vel* Ancillam tuam, & sic deinceps)

¶. DEUS meus sperantem in Te.

¶. Domine exaudi Orationem meam,

¶. Et clamor meus ad Te veniat.

¶. Dominus vobiscum,

¶. Et cum Spiritu tuo.

*O R E M U S.*

Clementissime DEUS. Pater misericordiarum, & DEUS totius consola-  
tionis, qui neminem vis perire in te credentem atq; sperantem, secun-  
dum multitudinem miserationum tuarum respice propitius Famulum tuum N.  
quem Tibi vera Fides, & spes Christiana commendant. Visita eum in salutari  
tuo, & per Unigeniti Tui Passionem & mortem omnium ei delictorum suorum  
remissionem & veniam clementer indulge ut ejus anima in hora exitus sui  
Te Judicem propitiatum inveniat, & in sanguine ejusdem Filii tui ab omni  
macula abluta transite ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum  
Dominum nostrum.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor &c. Sacerdos dicat Mis-  
reatur &c. deinde:

Dominus noster JESUS Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo  
suo dedit potestatem ligandi atque solvendi per suam piissimam misericordiam  
recipiat confessionem tuam, & restituat tibi stolam primam, quam in Bapti-  
smate recepisti; Et Ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa Inulgentiā  
plenariam & remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In Nomine Pa-  
tris &c.

Per sacrosancta humanæ reparacionis mysteria, remittat tibi Omnipotens  
DEUS omnes præsentis & futuræ vitæ poenas, Paradisi portas aperiat, & ad  
gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te Omnipotens DEUS, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem sub Annulo Piscatoris  
Die 21. Martij 1748. Pontificatus Nostri anno 8vō.

D. Cardinalis Passioeus

\* (L.S.) \*



Biblioteka Jagiellońska



stdr0026162

